Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

... pertiens. Ecce dies ecce dies
venit. Egressa est contricio. floruit vir-
ga. germinavit superbia. iniquitas sur-
rexit in virga impietatis. non ex
eis. et non ex populo. neque ex sonitu eorum.
et non erit requies in eis. Venit
tempus appropinquavit dies. qui emit
non letetur. et qui vendit non lu-
geat. quia ira super omnem populum
eius. quia is qui vendit ad id quod
vendidit non revertetur. adhuc et
in viventibus vita eorum. Visio enim
ad omnem multitudinem eius non
regredietur. et vir in iniquitate vite
sue non confortabitur. Homo in oculis
vite sue non obtinebit. Canite in
tuba preparentur omnes. et non est qui
vadat ad prelium. Ira enim mea
veniat super universum populum eius.
Gladius foris. pestis et fames in-
trinsecus. Qui in agro est gladio
morietur. et qui in civitate pestilen-
cia et fame devorabuntur. et salvabun-
tur qui fugerint ex eis. et erunt in mon-
tibus quasi columbe convallium. Omnes
trepidi unusquisque in iniquitate su-
a. Omnes manus dissolventur. et
omnia genua fluent aquis. et ac-
cingent se ciliciis. et operiet eos for-
mido. et in omni facie confusio. et in
universis capitibus eorum calvicium. Ar-
gentum eorum foras proicietur. et aurum
eorum in sterquilinium erit. Argentum eorum
et aurum eorum non valebit liberare
eos in die furoris domini. A-
nimam suam non saciabunt. et ven-
tres eorum non implebuntur. quia scan-
dalum iniquitatis eorum factum est. et or-
namenta monilium suorum in superbiam
posuerunt. et ymagines abhominatio-
num suarum et simulacrorum fecerunt
ex eo. Propter hoc dabo eis illud in im-
munditiam. et dabo illud in manus
alienorum ad diripiendum. et impiis
terre in predam. et contaminabunt illud.
Et avertam faciem meam ab eis. et
violabunt archanum meum. et intro-
ibunt in illud emissarii. et conta-
minabunt illud. Fac conclusionem quoniam
terra plena est iudicio sanguinum. et
civitas plena iniquitate. Et addu-
cam pessimos de gentibus. et possi-
debunt domos eorum. et quiescere faciam
superbiam potentium. et possidebunt
sanctuaria eorum. Angustia superveniente
requirent pacem. et non erit. Con-
turbatio super conturbationem veniet.
et auditus super auditum. Et querent
visionem de propheta. et non erit. et lex
peribit a sacerdote. et consilium a senio-
ribus. Rex lugebit. et princeps indu-
etur merore. et manus populi terre
conturbabuntur. Secundum viam eorum fa-
ciam eis. et secundum iudicia eorum iudica-
bo eos. et scient quia ego dominus.

Et factum est Capitulum viii.
in anno sexto in sexto mense.
in quinta mensis. ego se-
debam in domo mea. et senes iuda
sedebant coram me. Et cecidit su-
per me ibi manus domini dei. et vi-
di. et ecce similitudo quasi aspectus ig-
nis. ab aspectu lumborum eius et deor-
sum ignis. et a lumbis eius et sur-
sum. quasi aspectus splendoris. et visio ut
electri. et emissa similitudo manus
apprehendit me in cincinno capitis
mei. et elevavit spiritus me inter terram
et celum. et adduxit me in ierusalem in
visione dei. iuxta ostium interius
quod respiciebat ad aquilonem. ubi erat
statutum ydolum zeli. ad provocandam
emulationem. Et ecce ibi gloria dei
israel. secundum visionem quam videram